





Q. D. F. E. I.

58 26.
PRUDENTIAM
JUDICIARIAM,

EX
PHILOSOPHIA PRACTICA
IN ILLUSTRIS UNIVERSITATE VVITTEBER-
GENSI,

SUB PRÆSIDIO
VIRI PRÆCELLENTIS atq; CLARISSIMI,
DN. M. SIMON. FRIDER.

FRENZELII,
AMPLISS. FACULT. PHIL. ADJUNCTI MERI-
TISSIMI,
FAUTORIS ET PROMOTORIS STUDIORUM
MEORUM OBSERVANTER
COLENDI,

PUBLICO EXAMINI EXPONO
AUTOR & RESPONDENS
JOHANNES Wagner /

CAMENTIO-LUSATUS,
IN AUDITORIO MAJORI,
AD DIEM XXIII. JULII, HOR. MATUT.
ANNO τῆς χριστογονίας M. DC. LXX.

WITTEBERGÆ,
LITERIS EXCUDERAT JOHANNES HAKE.

PRUDENTIAM
JUDICIARIAM

PHILOSOPHIA PRACTICA
IN ILLUSTRI UNIVERSITATE WITTEBERGENSI

MDCCCLXXII
SUB PRESEDIIS
VIRI PRÆCEPTORIS MAG. CLARISSIMI
DN. M. SIMON FRIDER.



AMPLISS. FACULT. PH. THEOL. JUR. MED. PRACTICÆ
PROMOTORIS ET PROMOTORIS STUDIORUM

MEMORUM OBSERVANTER
COLLENDI

PUBLICO EXAMINE EXORDII
AUCTOR & RESPONDENS

JOHANNES JOHANNES

CAMENIO-LIBALIS
IN AUDITORIO MAJORI

19 DIEM XIIII. JUNII. HOR. MARTII.

ANNO 1852

WITTEBERGÆ

LITERIS EXCUBEAT JOHANNES HAKE.

1852





I. N. S. S. T.

P R Æ F A M E N.



Non minus politè, quam sapienter olim fabu-
lata est vetustas, quòd in medio duorum Zo-
diaci Signorum, Leonis scilicet & Libræ vir-
go resideat, Justitiæ nomine corruscans, quæ
terras olim incoluerit, sed cum manifesta
hominum nequitia magis magisque cresceret,
terram Injustitiæ matrem delerens, cœlestia
sidera petierit. Sub hõc fabellæ velo oc-
cultavit, Justitiam tam præclaram esse atque magnificam virtutem,
ut ferè mortalium captum transcendat: Quippe quæ polos
habitatam ivisset, in terris neminem inveniens, qui dignè
illam exciperet. Nec inter reliquas Virtutes primas partes
Justitiæ tribuendas esse ineruditè judicarunt veteres, cum teste Poë-
ta, *ὅτι ἡ δικαιοσύνη συλλήβδη πᾶς ἀρετῆς*. Quo inde etiam ἀρετῆ
κοινωνικῆ ἀ Philosophorum Coriphæo dicitur, & *κεφαλὴ τῶν ἀρετῶν*
καὶ τελεία μαλιστα ἀρετῆς: Ab Oratorum quoque Principe Regina
omnium virtutum, & Reip. benè constitutæ basis, ac fundamen-
tum pronunciat. Hæc n. Deo cultum tribuit, Regibus obedi-
entiam, Majoribus reverentiam, minoribus comitatem, oppressis
tutelam, dubiis Consilium, omnibus innocentiam. Hæc sublatâ
non domus ulla, non civitas, non hominum inter se societas, non
ipsa denique Universitas rerum stare acturi se ad punctum tem-
poris posset. Ut verò justitia in Imperio seu Republ. quadam-
sarta tecta que maneat, necesse omnino videtur, ut ea rectè admini-
stretur. Hoc quâ ratione fiat, cum demum addiscimus, quando
de prudentiâ judiciariâ, quam vocant, nobis rectius constat. Et
hæc unâ cum Legislatoria, & deliberativa, non ad jurisprudenti-
am sed ad Philosophiam Moralem spectat. Operæ igitur pretium
me facturum putavi, si præsentem Materiam nobilissimam pro In-
genii mei minus politis visibus in publicâ disputatione ventilan-
dam

*Teog. περ.
ἐρ. ἡμέρ.
v. 147.
Arist. lib.
s. Eth. c. 3.
Cic. lib. 3.
officior.
Muretus
vol. 1. orat.
8.*

Jer. 23. v.
6.

dam sifterem. Et quamvis materia hæc omnium, qui in illâ non planè sunt hospites, calculo plurimis difficultatibus referta sit: Atamen tantum abest, ut propterea à proposito meo absterrear, ut potius ad illud urgendum magis magisq; impellar amore solius veritatis indagandæ, quam ex sententiarum collatione, non aliter ac ignis ex silicis & chalybis collisione, elici posse cum rectè sentientibus puto. In antecessum verò ne τῆς θήρας (quod dicitur) ἀμαρτανῶ, & in primo statim limine impingam, DEUM T. O. M. qui per essentiam justus est, fervidissimis veneror precibus, velit propter Filium suum unigenitum (qui צדקנו יהוה JEHOVAH justitia nostra dicitur) gratiâ S. Sancti mihi adesse, & huic labori meo primigenio ex alto benedicere, quò suo non destituatur successu, sineq; exoptato. Fiat! Fiat!

THESIS I.

Quandoquidem teste Epicteto, δεχῆ τῆς παιδείσεως τῶν ὀνομάτων ἔπισκεψις; καὶ πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα: haud pigror de nominibus quædam præfari, ne in periculosos errorum Mæandros non intellectis vocibus abripiat. Sunt n. vocabulacubilia rerum, & tanquam συνάιδιον præstant, ut hominis animus seu intellectus, qui in veri constitutione κύριον αἰδίων est, tanto magis respondeat, inq; earum veritatem. *Stagyrita lib. περὶ ἑρμηνείας.* Id propter & ego de origine & significatiōne Prudentiæ judicariæ, in frontispicio disputationis, paucis agam. Prudentia à providendo, quasi providentia nonnullis dicitur, eò quod semper circumspecta, vigilans, sobria, perspicax, matura, oportuna, solersq; sit teste *Piccolomineo grad. 5. c. 40.* Cujus sine præsidio virtutes omnes, q̄s. Dædali statuar, solutar, inflabiles, fugaces, teste *Platone apud Conimbricenses disp. 8. quest. 1.*

THES. II. Quum verò ambiguitati vocabulum istud expositum sit, notandum probè est, quòd per prudentiam hic loci intelligam (1) non naturalem quandam sagacitatem s. instinctum, qui in brutis quoque cernitur, quatenus in futurum sibi prospiciunt, seque contra vitæ pericula muniunt, quemadmodum v. g. aves quædam circa tempus hybernum ex nostris locis in alia calidiora avolant: formicæ in æstate grana colligunt, ut in hyeme, quòd edant,

dant, habeant : grues peregrinationem in Ægyptum instituunt :
Cervæ ex naturali prudentiâ partum edunt, de quibus differit *Æli-*
an. l. 2. Hist. animal c. 1. itemq; l. 6. c. 11. & c. 43. Hæc n. non est vera
prudentia, sed umbra quædam ejus, quâ bruta faciunt instinctu na-
turæ, quod vir prudens facit cum electione : Neque (2) ejus semi-
na, & spem prudentiæ, quo sensu etiam Pueri prudentes dicuntur,
dum per naturam judicant, se ad prudentiam faciles esse, & spem
faciunt prudentiæ futuræ cujus meminit *Arist. l. 6. Eth. c. ult. l. 1. de*
Republ. c. 2. & l. 6. Eth. ad Nicomachum c. 13. Neque (3) Calliditarem
& Versutiam, Græc. *παισπύριαν* dictam, quâ Viri astuti foro suo u-
tuntur, & prudentes nuncupantur. Neq; (4) nudam aliquam tan-
tum solertiam, Pelasgis dictam *ἤνότην*, undè vulgò dici solet pru-
dens, qui aliis consilio antecedit. Sed, (5) propriè sic dictam & ve-
ram prudentiam, quæ est habitus docens secundum rectam ratio-
nè vivere, atque ea agere, quæ bona & honesta sunt : Hæc actiones
ita dirigit, ut vel nuspiam vel minimum impingant, orta ex obser-
vatione & experienciâ longâ singularium. Instructa esse debet na-
turali solertiâ excogitandi & inveniendi media, ingenii perspi-
cacitate, quoties de re vel præsentî vel futurâ consultandum est ;
prudens insuper in præsentibus debet esse expeditissimus : ejus au-
tem, quod futurum est sagacissimus conjector. Ad casus rerum
variosque eventus non obhærescat, sed remoto quasi velo rem ge-
rat. Hic locum habet illud Salustii : *Priusquam incipias, consulco,*
& ubi consulueris, maturè factò opus est. Cogitandum illud : *Dum*
Roma disputatur Saguntum petit. Prudentissimus igitur laudatur
Themistocles, qui dicente Cornelio Nepote, celeriter, qua opus erant,
reperiebat non minus in rebus agendis promptus, quam excogitandis.
Quod & de instantibus verissimè judicabat, & de futuris callidissimè
coniciebat: Et Atticus, quò nemo cordatius officia temporum ac rerum
perplexitates, ad rectam estimationem redegit, quem divinum pror-
sus nominat laudatus Autor. Quod si enim gubernator præcipuâ lau-
de fertur, qui navem ex hyeme mariq; scopuloso servat, cur non sin-
gularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot, tamq; gravibus procel-
lis civilibus ad incolumitatem pervenit ? Hæc quoad vocabulum
Prudentiæ.

TH. III. Vox judiciaria descendit à judico; dico, inquit
Varro l. 5. originem habet græcam, quod Græci *δικάζω*. Quid in
 re ipsâ vocabulum inferat, infra dicitur, hîc sannoto simul,
 quòd *ἀπὸ τῆς* judicare descendat iudex: *Isidorus* quidem l. 18. 15.
 Iudex, inquit, dictus, quasi jus dicens populo, seu quòd jure di-
 sceptet. Jure a. disceptare est justè judicare, sed simpliciter vult
Martini Lex. Judicem esse, qui jus dicat, h. e. attribuit. Hinc
Calv. in Lex Jur. à verbo *δικάζω* judico derivat, à quò etiam *δίκην* &
δικαιοσύνην descendere dicit. Vocabulum v. judicis, potissimum tri-
 pliciter usurpari solet, (1) *in sensu Theologico*, de Judice controver-
 siarum Theologicarum. (2) *in sensu juridico*, & quidem in hypo-
 thesi, de iudice vel Ordinario, vel Extraordinario, vel Mandata-
 rio vel arbitro juris, vel Limitaneo, vel Pedaneo, vel competente,
 vel non competente, & qui reliqui sunt hujus generis alii à JurisC.
 constituti, Vide *Excell. Dn. D. Martini diss. de Judice criminali.* (3) *in*
sensu politico, quatenus ille in Ideâ & Thesi consideratus denotat il-
 lum, qui de re aliquâ Magistratûs superioris, qui potestatem ju-
 bendi habet, autoritate cognoscit, judicat, & pronunciat, aliquid
 justum aut injustum.

TH. IV. Ut verò *prudentiam judiciariam* eò feliciter cogno-
 scam, considerandum (1) est *Subjectum*, quod sibi requirit prudē-
 tia judiciaria, si in Republ. benè & feliciter exeri debeat. Hoc ita-
 que Subjectum est virilis sexus, seu vir, non fœmina mobilis, cujus
 nec emolliatur lacrymis severitas, nec frangatur perferendorum
 mole constantia. Nec n. immunis hæc erit sparta à litigantium
 contumeliis, importunis querelis, postulationibus parum æquis,
 laboribusque infinitis, contra quos obfirmandum pectus diligen-
 ter est. Quî verò hoc tam facilè sperare licebit à fœmineo ani-
 mo? Destituitur namq; sapius *prudētia & consilio*, sine quibus *Res-*
publ. stare nequit, ut habet *Excell. Dn. D. Wendelerus Philos. Pract. p.*
182. Insuper fœminæ plurimis vitiis sunt obnoxia, ducuntur af-
 fectibus, indulgent animo, fluctuant, & ex sedibus suis facilè de-
 jiciuntur; sunt n. maximè sævitia deditæ, sunt ambitiosæ, à naturâ
 avaræ & illiberales; *Arist. l. 1. Rhet. c. 55.* sunt loquaculæ, unde *Plau-*
sus in Aululariâ: Muta mulier nunquam reperta; deniq; mulieres
 regu-

regulariter à muneribus virilibus & publicis remotæ sunt. Rectius
E. & melius à Viris quàm mulieribus judicia exercentur.

TH. V. Cæterum ætatis cura sedulo habenda venit, & Sub-
jectum hoc in justâ ætate debet esse constitutum. Uti n. arduum &
in Republ. summè necessarium est Judicis officium: ita colligitur
ex sanâ ratione, tam naturali, quam politicâ & civili, quod ii, qui
vel ob teneram ætatem vel defectum mentis & judicii, vel aliam
quandam causam rebus suis & privatis superesse nequeunt, multo
minus officio judicandi publico admoveri debeant. *Ætas E. non
sit juvenilis, neq; senio nimis languida. Juvenes n. plerumq; molles
sunt, etate fluxi, & dolis facile capiuntur; & quanquam non desunt ex-
empla juvenilis prudentia, rarissimè tamen id evenit, ut ante vigesim-
um annum animus obducatur vera prudentia cortice. Et cum
ut plurimum in senioribus memoria flaccescat, intellectus vacillet, & ex-
perientia in obstinationem convertatur, consultum non est iis, qui ultra
sexagesimum annum sunt constituti, hoc munus concedi, accuratissimè
scribit Excell. Dn. D. Wendeler. p. t. Decanus Spectabilis in Pol. sect. 2. c.
9. §. 9.* Definita quidem apud Vereres fuit legibus certa ætas, cui
aspicere liceret ad publicos dignitatis gradus, & per legem Juliam
non poterat esse judex, qui minor annis viginti erat: Verum cum,
nec tunc temporis morosius computati sunt anni, ubi ætatem præ-
vertebat ingenii maturitas, causa non est, quare hodiè in festinatio-
ne virtutis expectemus atatis cursum. *Potius iniquum existimamus eum
honori nondum tempestivum videri, qui jam virtuti maturus est.
Vid. Valer. Max. III. 1. 1. dantur n. optimæ indoles, quæ maturius
ad eruditionis quoq; legalis perfectionem, imò ad summum in ju-
re Doctorali gradum anhelant & aspirant, & exempla adsunt con-
signata, quòd feliciter Respubl. etiam in his annis à minoribus sit
administrata. Romani equidem LL. suis caverunt, ne minores
viginti quinque annis ad munus judicandi admitterentur, moti
procul dubio iis rationibus, quòd in hæc ætate lubricum sit homi-
num judicium, nondum completo vigore virili, & in dijudicandis
litibus non tam ingenii alacritas, & nobilitas indolis vel eruditio
aliqua & cognitio requiratur, quam usus rerum, qui non nisi expe-
rientiâ & actuum frequentiâ comparatur.* De quibus consulantur

cur Juri, imprimis *Matth. Steph. IV. de off. jud. c. 5. Ummius ad Pro-*
cess. Judic. disp. 1. Vultej tract. Jud. l. 1. c. 49.

TH. VI. Quare non minus senibus, quàm juvenibus judicia
rectè committuntur, adeò, ut non omninò juvenes excludantur,
si maximè fuerint ingenio, judicio, prudentiâ & eruditione seni-
bus pares. Non enim quemlibet ex fece populi ad judicandi munus
admittendum esse, sacræ Literæ svadent; Sed ad judicem requiri-
tur prudentia, & judicandi peritiâ, quam sibi l. eruditione, l. le-
gum cognitione, vel usu & experienciâ comparavit; Explorandi
igitur sunt [1] & eligendi, l. deligendi, & seligendi è populo, i. e. ci-
vibus optimis. (2) sint honestæ famæ & inculpatæ vitæ. (3) Deum,
verentes & reverentes, (4) veritatis amantes & veraces in dictis &
factis, (5) avaritiæ & Lucro non inhiantes, (6) alacris ingenii, viri
fortes, & sui fiduciam habentes, DEOq; confidentes. [7] Legum &
divinarum & forensium humanarum scientes & tenacissimi obser-
vatores. (8) Sapientes & prudentes, (9) personam nullius verentes,
& quæ aliæ centum virtutes sunt, quæ Moses ex consilio Jethro
requirit à judice. *Deut. I. v. 12. & seqq. Exod. XVIII. v. 13. seqq.* Ab
hoc juris divini præcepto non recedunt LL. humanæ & civiles, quæ
itidem præter Virtutes morales, peritiâ quoq; & eruditione Le-
galem in judice requirunt: Quòd noxium valdè sit in Republ. &
periculosum, si imperiti literarum, & qui neque Juris divini, neq;
humani cognitione imbuti sunt, arduo judicandi muneri præfici-
antur. Hinc benè dixit, qui dixit: Ignorantia judicis plerunq; est
calamitas innocentis, & detrimentum Reipubl. Misere sapiunt,
qui alieno pectore sapiunt, nec dignoscunt rectè lites, qui harum
momenta non intelligunt ipsi. *Hinc Excell. Dn. D. Wendeler. in Po-*
lit. sect. 2. c. 12. §. 3. eruditè diserit: Scientiâ juris Judex instructus esse
debet. Hac autem non debet esse aliena, sed propria, cum miserum sit
sapere ex alieno pectore. Nec veniam meretur is, qui sententiam ab ali-
is non benè pronunciatam, excquitur; Judex enim habet potentiam
supplendi, corrigendiq; ea, quæ jura non definiunt; Quod judicis arbi-
trium sine prudentiâ perfici non potest. Concludo itaq; melius doctos
& legisperitos, quàm illiteratos judicare. Etsi n. quædam à naturâ
ingenio valeant, & illi prudentiam judiciariam exercere possint,
qui ex bonitate naturæ sapiunt, & ex rerum observatione & experi-
entiâ;

entiâ: Interim tamen si ad naturam bonam accedit eruditio, singulare quoddam existit. *Cic. in Arch.*

TH. VII. Ineptus autem prorsus ad hanc provinciam videtur, qui rectæ rationis usu & intellectu caret, furiosus sc. & mente captus: Quod si durante officio furere iudex cœperit, ab officio quidem non removetur, quamdiu spes adest restitutionis, judicandi tamen necessitatem morbus fonticus remittit, quod secus est, si furor sit diurnus & perpetuus. Non n. postrema pars muneris judiciarii est audire, & cognoscere causas litigantium, interrogare multa, & plenâ inquisitione rerum ordinem discutere. Quæ omninò, cum ab istis hominibus fieri haud queant, mirum non est, quod ad hoc fastigium difficilis illis est aditus, vel etiam nullus. De Cœcis valdè sunt disceptantes Doctorum Sententiæ. Mihi placet hæc Sententia, quòd ad certas causas nequeant Cœci admitti, tutò dirimendas, præsertim tales, in quibus oculorum ministerio opus est, sive, ut vulgò loquuntur, quæ requirunt ocularem inspectionem, & rectè dijudicari non possunt, nisi iudicium oculis subjiciantur. Ut quando lis est de finibus, de Terminis agrorum, de Scripturâ aliquâ, quæ inspicienda & cum aliis conferenda. Hinc cœcus iudex ad novum judicandi munus admo- veri non debet. Adde, quòd illius officium in eò simul consistat, ut reos examinet, & in confrontatione, quam vocant, cum aliis ex vultu, consternatione animi, pallore & rubore, aliisq; gestibus & sermo- nibus indicia colligat; imò tutius agitur, si in causis tam civilibus, quam criminalibus cœcus nec novus ad judicandum admittatur, nec datus retineatur, quamvis in consilium adhiberi possit, ita tamen ut actus judicandi alteri committatur.

TH. VIII. Non verò sufficit, ut iudex quoad cœtera habilis & aptus sit adjudicandum, sed insuper requiritur, ut sit persona publica, quæ potestatem habeat à Majestate sibi concessam, non absolutam, sed legibus definitam. Sententia namq; iudicis est tanquam parti- cularis quædam Lex animata, ut eleganter notat *Arist. l. 5. Eth. c. 8.* ὁ δὲ ἐπὶ τὸν δικαστὴν εἶναι, εἶναι ἐστὶν ἐπὶ τὸ δίκαιον, ὁ γὰρ δικαστὴς βέλεται εἶναι οἷον δίκαιον ἐμψυχον: i. e. iudicem adire, est adire jus ipsum; ju- dex n. vult esse jus quoddam animatum. Hinc cum lex omnis δύναμις ἀναγκαστικὴν, i. e. Vim & potentiam cogendi habeat, Justitiæ quoq; Præses, qui lex quædam animata audit, potestatem cogendi obtineat

B

necesse

neceſſe eſt. Qui E. hanc poteſtatem non habet, neque ordinariè,
neque per commiſſionem, eam nec debet, nec poteſt uſurpa-
re. Proinde hujusmodi apud *Scotos* lex eſt. IN. PROFA-
NIS. REBUS. NEMO. JUS. DICITO. NISI. QVEM. JURI. DI-
CUNDO. MAJESTAS. REGIA. PRÆFECERIT. SOLIUS. REGIS.
NOMINE. JUS. OMNE. REDDITOR. CONVENTUS. JUDICAN-
TOR. CONCILIA. CONVOCANTOR. NE. QVIS. ALIA. QVAM.
REGIA. AUTORITATE. JUDICIA. OBTINETOR. Eluceſcit igi-
tur, quòd omnis judex jurisdictionem habere debeat vel SUPREMAM
& INDEPENDENTEM, ut Supremus judex, penes quem eſt τὸ κρῖ-
νον, ſeu ſumma in Imperio poteſtas: Et quidem vel *generaliter* qualem
in Imperio noſtro Romano-Germanico Imperator obtinet. Hic enim
ſine Controverſia omnium in Imperio eſt Superior, & tanquam fons,
à quò omnes dignitates, omnia officia & gradus profluunt, ut propte-
rea non immeritò ille ſolus immediate DEO acceptam ferat poteſta-
tem ac jurisdictionem ſuam: vel *Specialiter*, veluti quilibet Status ra-
tione territorii ſui, quia & hi juxta vulgatum & tritum, non minus
poſſunt in ſuis territoriis, quam Imperator in univerſo: Quin etiam,
de Magiſtratibus municipalibus ratione municipii hoc prædicari po-
teſt. *Job. Andr. in addit. ad Spec. l. de Jurisd. om. jud.* Vel ab hoc DE-
PENDENTEM ET ALTERI CONCESSAM, ut judex à Supremo ma-
giſtratu conſtitutus, qui loco ſummi illos, qui poteſtati ejus ſubjecti
ſunt, judicare poteſt. Nam cum judiciis officium maximoperè ver-
ſetur circa citationes decernendas, cauſas cognoscendas, ſententias
ferendas, alioſq; actus in judicio occurrentes, neceſſariò omninò in
judice, quò ejusmodi actus exercere poſſit, requiritur Jurisdictio, a-
liàs eluſorium redderetur judicium, ſiquidem fundamento jurisdic-
tionis ſublato, quicquid ſuperſtruitur, corruiſit: Hinc jurisdictio ho-
diè omnis vel *Alta* dicitur, vel *Baſſa*, i. e. vel ſuperior vel inferior; Illa
complectitur merum & mixtum Imperium, *Ober Gerichte / Peinli-
che Gerichte*: Hæc jurisdictionem de cauſis civilibus, quamvis & illa
ſine modicâ coërcitione expediri nequeat, *Die Erb ſüd unter Gerichte.*

TH IX. At hîc ea occurrit quæſtio, an Princeps, cui ſumma re-
rum concedita eſt ipſe Judicia exercere debeat, vel ſalvâ autoritate
poſſit? Reſp. Princeps utiq; enixe *debet contendere, ut juſtè adminiſtret
Imperium, plectendo promeritis improbos, bonos & probos conſervando.*

Nam

Nam indulgere omnibus omnia nō boni & clementis est, sed ignari & segnīs.
 Itaq; sanctitatem Legum asseret non modò in aliis, sed in se ipso quod.
 Non quod allegatus iis sit, sed exemplo sit, posse fieri, quæ præcipit. B. Buch-
 ner. orat. de princip. Galba. Hæc de causa Ludovicus Rex Franciæ singu-
 lis hebdomadis bis pro tribunali sedebat, ut causas viduarum & mise-
 rorum, à senatoribus neglectas, cognosceret, & decideret pari justiti-
 tiâ & clementiâ. Et felicissimus Cæsarei parricidii Vindex & Asser-
 tor Imperii singularis, Augustus, Jus dixit assidue, & in nocte non nun-
 quam, si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam
 dormi cubans. Suetonius Aug. c. 33. & 72. Quam accuratè justitiam ad-
 ministravit Ludovicus Pius, Caroli Mag. Filius, id ex Thegano cogno-
 scere est. Ita Princeps Christianus hodièq; diligenter judicia obire
 debet, nec permittere, ut hominibus innocentibus injuria fiat. Qua
 propter nec cuius accusationi & delationi statim fidem adhibebit,
 cum non raro usu venire soleat, ut homines Improbi ac scelerati spe
 aut odio vano viros probos & innocentes deferant, & per calumniam
 traducant, & in periculum adducere satagant. Fuit sanè Imperator The-
 odosus junior eximiâ pietate & virtute Princeps, eiq; si ulli alii, do-
 ctrinæ sinceritas & Ecclesiæ tranquillitas curæ erat & cordi: Nihilominus
 hic Imperator à Candidiano & Ireneo, comitibus, horumq; complicibus
 turpiter deceptus, & adversus Orthodoxos, quibus benè aliàs cuperet,
 exstimulatus Cyrillum Alexandrinum, & Mennonem Ephesinum, viros
 optimos & innocentes, carceribus graviter affligere non dubitavit.
 Cæterum cum omnia judicia principes ipsi obire non possint, Judices
 constituere debent, qui sint viri probi & honesti.

TH X. Spectata igitur iudicum probitas esse debet, ne si cupiditate
 abrepti, permisâ sibi potestate, secus quam debet, utantur, ipsa civitatis
 fundamenta subvertant. Veterum ea cautio fuit ortaq; opinio, non
 reperiri posse iudicem, qui non & vir bonus sit, ut etiam iudicis
 nomine uterentur, cum viri boni notas enumerando vellent percensere.
 Siquidem & suspicio omnis sceleris abesse debebat à moribus
 iudicis, nec poterat agere iudicem, qui motus à senatu, & notatus
 crimine erat, licet ei ad alios honores, ipsorumq; censorum dignitatem
 pateret aditus, cum emendasset vitam, & ad meliorem frugem se
 recipisset. Necessè est itaq; à crimine, quod damnaturus est,
 iudicem immunem esse, ne, quando de aliis iudicat, in se-



in semetipsum ferat sententiam. *Excell. Dn. D. Wendel. l. c.* Proinde Xenocrates cum videret furem quendam duci ad patibulum, subri-
 sit: quod magni fures minores morte damnarent. Hoc namq;
 parit iudici contemptum, quò nihil studiosius fugiendum iudici. Qua-
 re sit primum in iudice Pietas & Timor Domini. Quemadmodum n.
 omnibus pietatis studium cordi esse debet: Ita in iudicibus comprimis
 requiritur ut DEUM timeant, in timore Domini omnia gerant, præ-
 cepta eius observent, conscientia suæ rationem habeant, seriam pie-
 tati operam dent, pietatis ac iustitiæ partes cognoscant, utriusq; ta-
 bulæ custodes sint, nec contrà verum omnis administrationis prospe-
 ræ, ac salutis publicæ fundamentum quicquam designent, i. e. contra
 legem divinam, quæ noctes diesq; volvenda Deut. 17. 19 Jos. 1. 7. Et sci-
 re hoc debent iudices Dei præsentia consecratos se esse nec magis alios
 iudicare, quam ipsos iudicari: Ipsis magis, quam partibus, terribile ju-
 diciū esse. Si quid è litigantes substitutionibus, Iudices verò, DEO inspe-
 ctore adhibito, causas trutinandas proferunt. *lib. 3. Cod. tit. 1. de iudiciis.*
 Nec hominis, sed DEi se exercere iudiciū, inq; se redundare, quæcunq;
 iudicaverint *l. 2. Paral. 19.* Cogitabunt & illud iudices, Sapientiam
 suam omnem in hōc consistere, ut non solum quid possint, sed etiam
 quid debeant, penderent: nec quantum sibi permissum meminerint,
 sed etiam quatenus commissum. *Cic. pro Rabirio.* Non temerè, sed gra-
 vi de causâ, veteres olim iuxta templum collocarunt forum iudiciale,
 ut scilicet ostenderent, à DEO esse constitutos iudices, & dum homi-
 nibus jus dicunt, à DEO se quoq; iudicari, *Plato. l. 6. de Legibus.*

TH. XI. Ut verò iudex amore iustitiæ flagret, necesse est, siqui-
 dem iubentur diligere iustitiam, terram qui iudicant, *Sap. 1. iustè ju-
 dicare, nec alteram in partem inclinare, Deut. 16.* Abominabilis is
 apud DEUM dicitur, qui iustificat Impium, & contemnit iustum,
Prov. 17. Eximiam sanè iudex personam sustinet, quæ in terris repræ-
 sentat imaginem quandam divinæ potestatis, & in honoris apice mu-
 nus obit, inter maxima Reipubl. munia, non primarium modò, sed
 grave, arduum, curarum plenum & laborum. Hinc optandum fo-
 ret, ut ii, qui in tribunali sedent, Legum similes essent, quæ ad iudic-
 andum non lucro, favore, aut odio, sed æquitate ducuntur. Ubi
 n. dominatur affectus, haud facilè ad sinceri iudicii lancem, ratio
 exigitur. Præcipuè ubi avaritia & *δοποδοξία* obtinuerit. Privatæ n.
 res semper offecere, officientq; publ. & potissimum immoderari & te-
 teme-

merarii affectus; viscata munera, & sua cuique utilitas, iudicii venenum habentes. Prudenter olim & Lacedæmonii & Arcopagitæ nocturno tempore iudicabant, & ut rem benè excuterent & nullius favore aut gratia flecterentur. Jura igitur tractent iudices, sed sanctè, sed religiosè, periclitantem innocentiam præsidio suo sublevent, ambigua fata causarum æquâ iudicii lance dirimant, lapsa, quantum in humana manu est, erigant, erecta semel tueantur & defendant. *Sicut amnes Salsugenum Oceani in quem fluunt, non mutant.* Sic in iudice quicumq; affectus, ne diluant justitiæ severitatem, sine quâ leges vel in usu consenescent, vel fraudulentis artibus circumveniuntur. Eâ remotâ, quid regna sunt, quid principatus, quid civitates? nisi magna latrocinia, audaciæ & impietatis asyla, scelerum officinæ, & conclamata nequitia latibula; Ubi licentia immissis habenis celsiores pudoris & verecundiæ calles supergressa, impunè dominatur & furit. Ut citius è corpore animam, è mundo solem sustuleris, quam è Republ. justitiæ metum. Svavior dari non potest harmonia in civitatis regimine, quam si *Lex iudici, Judex* tanquam os justitiæ succinat legi: Magistratus lex est loquens, lex mutus Magistratus *Cic. l. 3. de leg.* Ab illo n. ita prorsus omnia iudicari oportet, ut lex ipsa, quasi lingua iudicis, & iudex quasi vox legis. Quæ per universum naturæ corpus diffusa, gentes ac populos regit, & sine quâ, nec humana societas, nec ipse mundus stare potest. Sicut enim domus, cui fundamentum non substernitur, caduca est: Sic ille, cui non ista: *Tolle. Cadaver ac funus est hæc omnis multitudo.* Et ut cyclops apud *Homerum*, amisso uno oculo, huc illuc impingitur, & deniq; ruit: Sic moles populi, sine lumine JUSTITIÆ, quæ una & sola meritum arbitra, ultrix scelerum, Reipubl. columna, *Ἐπίτης πάντων ἀνθρώπων, καὶ δίκων περὶ γυμνασίων*, nec non rectè factorum præmiatrix.

TH, XII. Postquam in præcedentibus explicatum dedi *Subiectum Prudentiæ iudiciariæ* quod erat vir in justâ ætate constitutus, & præceptionibus salubribus, Juris imprimis publici ac privati notitiâ imbutus, ac firmatus experientia, qui tanquam persona publ. potestati habet à Majestate sibi concessam, non absolutam, sed legibus definitâ, probitate gaudet, à scelere abest, & amore justitiæ flagrat. **OBJECTUM** nunc ejusdem considerandum, ratio institutæ methodi mihi proponit. Constituunt autem hoc res, ad iudicis forum spectantes.

Hinc octo rerum genera sub controversiam revocandarum ponit *Philosophus*, (1) ubi & res seu facta, & personæ argumenta afferunt, & sunt controversa. (2) cum gesti Magistratus rationes petendæ, & examinanda officia publica; *Quemadmodum actiones Verrina fuerunt.* (3) si quid in publicas personas, aut ipsam Rempubl. commissum, cujusmodi majestatis aut perduellionis crimen appellatur. (4) quibus poenæ & mulctæ sunt irrogandæ, quæ frena quasi & vineula sunt, quibus in officio homines continentur. (5) cum de contractibus magnis est agendum; ad quod pertinere caput videntur controversiæ, quæ de emptione & venditione, nuptiis, Testamentis, tutelis oriuntur. (6) ubi de eadē commissâ consultò & spontè, vel imprudenter & invitò, justè vel injustè controversia oritur. (7) quando cum peregrino & cive, vel alio peregrino negotium est. Postremò cum de rebus parvis & minutulis sunt contractus, & inde quoq; controversiæ nascuntur, *Arist. Pol. 4. c. 16.* Hunc numerum & minuere alii & augere non dubitant, qui criminales alias, alias civiles causas faciunt. Causa civilis dicitur ea, qn. in judicio principaliter agitur ad commodum privatū, sive talis causa descendat ex contractu, seu ex delicto: Criminalis verò, quando principaliter agitur ad commodum publicum, ex delicto tamen sive ad publicam vindictam, *Robert. Marant. Spec. aur. part. 4. dist. 1. n. 2.* Materia ergò circà quam versatur prudentia judiciaria, sunt causæ tam civiles, quàm criminales.

TH. XIII. Consideravi breviter objectum *Prudentiæ judiciariæ*; nunc ad ejus ACTUM descendere, conveniens est, quem in hac & sequenti Thesi paucis explicare constitui. Judex igitur causas controversas ritè cognoscere debet. Cum enim præcipuum Judicis officium sit, curare, ut lites minuantur, breviterque decidantur, quippè cum & partium litigantium & Reipubl. intersit, litesq; subito finiri: Id verò sine causæ cognitione fieri nõ posse ex eo patet, quòd judex procedens absque causæ cognitione in præjudicium alterius, fines officii sui excedat, & pro privato habeatur, adeò ut impunè ei non pareatur, & licitè resisti possit; Quin & naturali juri seu rationi cõveniat, ut priò cognoscat id, super quò judicare debet judex, & propterea dici consuevit, quod causæ cognitio à jure divino descendat: Ideoq; eam tanquam corpus & Substantiam judicii à judice minimè prætermittendâ, sed potissimam officii ejus partem circa hanc occupatam esse, nulli non

non liquere puto. Proinde iudex factâ litis contestatione, per quam ipsi potestas fit de causâ cognoscendi & iudicandi, exactam habere debet causæ cognitionis rationem, quæ in eò consistit, ut omnes partes iudicii ordine seri neutri litigantium jus suum claudat aut coarctet, sed utriusq; partis allegationes æquè sine affectu audiat, probationes expendat, nihilq; statuatur, parte alterutrâ inauditâ; neq; id perfunctoriè aut summariter, uti plerumq; fieri solet, faciat, sed cuncta & singula causæ acta diligenter & maturè rimetur & excutiat, cum præcipitata ejus voluntas sæpè sit justitiæ noverca: Præterea plenam & justam inquisitionem adhibeat, i.e. nihil eorum, quæ intentionem suam firmandam proponit Actor, quæq; defensionem rei spectant, iudicii que natura non repudiat, prætermittat, quin audiat, cognoscatque. Et tandem utramq; partem sæpius interroget, num quid novi addere desideret; Quod si nihil in quæstione habeant ulterius litigantes, quòd proponant, & causam sic iudex exactè cognoverit, Iudiciorum tandem ordo exigit, ut rem controversam vel vivâ voce l. scriptis decidat & finem sententiâ suâ litibus imponat.

TH. XIV. Ideò namq; litigantes iudicem adire, ejusq; officiû humaniter implorare solent, ut post causam controversam, diligenter auditam, utriusq; partis probationes & defensiones plenè cognitâs, allegata eodem spectantia plenâ inquisitione discussa, per maturam deliberationem lis ab eo decidatur, & unicuiq; suum per sententiam suam tribuatur, paxq; inter illos restauretur. Hinc veram & justam sententiam quin dicat iudex nullum est dubium, si ad ipsius sententiæ requisita, quæ vulgò à Politicis in duplicem formam rediguntur, diligentissimè attendat. Primò n. quoad *formam sententiæ externam* requiritur, ut ea post plenam demum causæ cognitionem & servatum legitimum procedendi ordinem proferatur. (2) ut à iudice ipso [nisi fortè persona sit illustris] pro tribunali sedente recitetur. (3) partibus litigantibus earumq; procuratoribus, nisi alterutra per contumaciam absit, præsentibus. (4) expresso iudicis & partium nomine. (5) loco consueto, (6) deniq; interdum non nocte, aliàs lata non valet, *Const. Elect. 16 p. 1.* Quoad formam internam requiritur, ut [1] contineat vel condemnationem, vel absolutionem. [2] ut conveniens sit juri, consuetudini & stylo. Unde omninò curare debet iudex, ne à legibus & constitutionibus recedat, aliàs sententia ipso jure
nulla

nulla erit, adeo ut etiam appellationis necessitas remittatur : quod
 intelligendum, si contra jus in abstracto & thesi, secus in concreto &
 hypothese consideratum pronunciet, uti loquitur *Franz. Comm. ad*
Inst. de off. jud. Non tamen inquirere in leges debet, sed uti latae
 sunt, ita reddere tenetur. Nudus n. minister est, & nullam *δixγιοθε-*
σία sed *δixγιοδοσία* habet, uti à compilatore Juris Sax. annotatum est
 lib. 2. Landrecht/40. ibi: Das dem Richter nichts gleiches düncken soll/
 denn daß das Recht gesetzet hat/ denn er mag es weder höhern/ noch
 mündern. Sanè, ubi jus scriptum in applicatione ab æquitate dissidere
 videtur, arbitrio judicis aliquid dandum est, ut secundum æquitatem
 potius, peculiaribus circumstantiis permotus judicet, quàm verbis
 legis præcisè inhæreat : *Vide Ethica Hornei, lib. 4. c. 4. p. 619 seqq.* (3)
 ut, quantum fieri possit, certa feratur, etiam si petitio sit incerta. (4)
 ut sententia sit actis congrua, [5] ut contra eum, qui litem contesta-
 tus est, sive Dominus sit s. procurator, sententia feratur. Latâ sic sen-
 tentiâ & eâ in rem judicatam transeunte, consequens nunc foret, ut
 etiam de executione ejusdem quædam adderem. Sed, quamvis vellè,
 angustia paginæ me excludit, neq; tantâ brevitate, quàm mei instituti
 ratio postulat, copiosa hæc executionis materia adjici potest, cum li-
 mites transilire nolo; Ideoq; invitus hîc eam relinquere cogor: inte-
 rim. C. L. brevitatâ causa remitto. ad Juris-Consultos, & sine verborû
 ambagibus ad ipsum Prudentiæ Judiciariæ Modum tandè progredior.
 TH. XV. Hic modus restringitur ad rectitudinem, ut sc. iudex
 Judicium secundum rectæ rationis dictamen, & justitiæ tenorem in-
 stituat, sententiâq; suam pronunciet. Ad hunc modum sequentia
 imprimis necessariò requiruntur. (1) Audienda utraq; pars æqualiter
 & patienter, unâ cum testibus & probatis actisque; *Hoc enim est*
summa equitatis dicit D. Wendelerus l. c. Sicut Heliastæ judices apud
 Athenienses jurabant; καὶ ἀκροῶμεν τὰ τε καὶ ἡγύρῃ καὶ τὰ ἀπολογῆ-
 μῶν ὁμοίως ἀμφοῖν, Demosthenes contra Timocrat. qui & in Orat. de
 Coro æquissimum censet, præbere seipsum æqualem judicem utriq;,
 vel communem ἀκροατήν, imitatus præceptum Platonis: Ne judica-
 nisi utrosque audieris. In Macedonum Rege commendant historiæ,
 quòd, cum controversias audiret, occluserit & servârit integram reo-
 aurem, dum accusatori patuit altera. *Plutarch. in Alex. obiecta cri-*
mina non pro approbata accipienda statim Plin. ep. 14. l. 2. Inauditi si-
 quidem atq; indefensi tanquam innocentes pereunt. Hinc apud Tragicum
 cum

cum Medea in cæteris haud bona, benè canit: *Qui statuit aliquid parte inauditâ altera, equam licet statuerit, haud æquus fuerit.* Quam virtutem utinam omnes hodiè Judices sequerentur, juramentumque suum diligentius expendere, quod in *Novell. 8.* ita habet: *Æquum me utriq; parti, tam in disceptandis controversiis, quam tuendâ disciplinâ publ. prabebo: Neutri parti prater jus & fas addictus ero. Quod si hæc non observavero, omnibus incommodis ero expositus, tam hîc, quam in futuro seculo, in horrendo judicio Magni Dn. DEI & Salvatoris Nostri Jesu Christi, habebopartem cum Judâ & lepram Hieri & tremorem Cain.* Judex igitur non unam litigantium partem, sed alteram quoq; audiat, insuperq; ea, quæ à testibus, (quorum sufficiens numerus jure divino & civili ad binarium restringitur) dicuntur, diligentèr examinet, *Matth. 18. v. 16. Num. 35 v. 30.*

TH. XVI. *Secundò, non præcipitandæ sunt Judici sententiæ. Nihil enim inimicum magis est judicio, ac festinatio nimia, subitoq; sine judicio decernere. Terrio, Affectus, utpote ira, Odium, Amor &c. cum non sinant ex vero, res ipsas cogitatione & consilio benè pensitare, à tribunali jubeo exesse. Subjiciendum hinc omnibus judici- bus crebrò est illud, quod exhibet tabula marmorea in curiâ Ratisbo- nensi: Quis quis Senator curiam officii causa ingrederis, ante hoc ostium privatos affectus omnes abjicito: iram, vim, odium, amicitiam adulationem, Reipubl. personam & curam subjicito: Nam ut aliis æquus aut ini- quus fueris, ita quoq; DEi iudiciam expectabis. Nec absimilis est vetus Jurisjurandi Senatorum Romanorum formula: Juro per Jovem Olympium & Consiliarium, & per vestrâ consultricem & per Jovem Maritalem & Mi- nervam prodigam & victoriam, & Venerem & Amicitiam & concordiam & Jus atq; fas, & bonam fortunam, aliosq; universos DEos & DEas; me sententiam velle dicere secundum leges & consulta à civitate approbata, & secundû decreta Romanorum & leges, quibus nostra Respubl. administratur, in respectu utilitatis patrie pro viribus meis, non aliter quam ic fecit, qui senator fuit laudatissimus Patria vel Romana, vel Græcæ civitatis neq; gra- tia, neq; odio, neq; muneribus patriar servire iudicium, consultumve meum; neq; privato addicam sententiam meam, neq; me ulli parti aut nomini ad- jungam, sed tantum communi utilitati, aucturus pro viribus Remp. ita, ut dii & boni viri volunt, mihi quidem sanctè jurato benè sit, & dii atq; de- mones faveant, itemq; meis omnibus cum amicis tum universo generi & fa- milia*

milia, in perjurio verò ne deprehendar unquam. Quarto, fugient Judices credulitatem nimiam in iudicando. Non enim hodiè demum nata, se longà jam seculorum observatione roborata nonnullorum consuetudo est, struere crimina in viros etiam bonos, vel structa adornare, ac per speciem legitimæ accusationis pravo nocendi proposito & spe præmij in iudicio, invidiosè magis, quàm verè & pro merito causæ exagitare, quibus si aurem non tantùm facilem, sed & mentis assensum commodet Judex, admittet in se crimem, quod à sanctitate ejus longè debebat esse remotum. 1. *Tacit. l. Annal. 14. Curt. X. 1. 38.*

TH. XVII, Quintò, iudices penitus abstineant omni acceptatione munerum tam antè, quàm post latam Sententiam, Narrat Plutarchus, Thebis olim positas in publico fuisse Judicum Statuas, easq; sine manibus: quòd indicio esset, nihil eos à quoquam accipere debere: ejus autem, qui iudicio præsideret, etiam sine oculis, quod ipso personarum aspectu iudices interdum à rectò abduci arbitrarentur. Neq; vel hodiè crumenimulga natio argentanginæ & rapacitatis morbo laborans extincta est; Sed integras sæpè populatur regiones & urbes. Patet hoc ipsum ex colloquio corrupti Judicis cum suo corruptore, quod commemorat *Dn. D. Matthias in Theat. Hist. Theor. Pract. Monarch. 1. p. 20.*

Heus aperi. Tu quis? Tuus est: Quid queris? ut intrem:

Fers aliquid? Non. Esto foris, fero. Quid? Satis. Intra.

Quid fers? Ova. Quid ille? Capos. Quid tertius? Agnum.

Nemo magis? sunt, qui adducunt. Quid? cum bove porcum.

Vos laudo. Tamen hi forsan plus juris habebunt.

Dic, Quare? Ova, capos, sus, bos, malè perdit & agnum.

Et sic bilanz in eam usq; vergit partem, in quâ majus depositum pondus est. Hujus modi corrupti Judicis unicum exemplum, cujus procul dubio plura sunt, ex Germanicæ nationis *Apophtegmatibus Zinckgrafen p. 353.* recitabo, quod ita germanicè refert. In einen alten Büchlein/ so Anno 1501. zu Nürnberg gedruet/ habe ich folgendes gefunden: ein Amtmann an einen Orth nahm heimlich Mied und Gaben. Als nun Zweene Bauern irrung hatten/ darauß er Sie entscheiden solte/ schänckte ihm der Kläger einē Ochsen/ daß er ihm güttlich bedächte; Dieses wart der Antworter inne/ schänckte seiner Frauen/ der Amtmannin ein Wehenne Kürschel/ daß Sie gegen ihren Herren seipe

seine fürsprecherin were. Danun die Zeit kam/daß der Amtmann
zum gehörs des Handels nieder saß/beforgete die klagende Parthen/ er
möchte des Ochsen vergessen haben/ruffte also: Brüll / Ochs / Brüll!
da dieß die gegen Parthen hörete/antwortete Sie; der Ochs kan nicht
brüllen/er hatt eine Behenne Kürschen in Halse stecken. Et hoc modo
judex hic corruptissimus publicè confusus fuit à partibus litigantibus.

TH. XII. *Sextò*, ut judex sine acceptione & respectu personarum
judicium exerceat: distingvo tamen hinc inter *σωφροσύνην* in-
trinsecam & extrinsecam; illam, quam maximè requiro à judice, quia
personas in judicio omnes, ut æquales, considerare tenetur. Non
n. videndum ipsi est, quis contrahat, quis litigium instituat, quis pœ-
nam subeat, an in excellentiori quâdam dignitatis gradu constitutus,
an verò conditionis inferioris homo sit; sed qualis contractus, quale
flagitium admiserit, qualeq; de diversis illis actibus judicium ipsi fe-
rendum sit. Hanc verò nequaquam. Quippe quod ipse *DEUS*, *justis-
simus vindex*, ejusmodi personarum respectum in Sacris disertè rejiciat,
Deut. 1. v. 16. 17. Deut. 16. v. 19. Exod. 23. v. 3. Lev. 19. v. 15. Prov. 2. v. 23. &c. *Se-
ptimò*, judex rectam rationem & conscientiam in judicando observare
tenetur: ubi occurrit tritissima pariter ac vexatissima quæstio: An ju-
dici secundum acta & probata, an v. secundum propriam Conscienti-
am sit judicandum? In quâ cum Theologis & Politicis assero, eum
neq; contra acta, (si diligenter omnia examinata sint) neq; contra cō-
scientiam, unquam judicare debere: Verum ut conscientia inurat
stigma, ubi fraudis aliquid subesse apparet, asserendum id vix arbi-
tror; Si ergò contingat, quod reum publ. probationibus convictū, ex
propriâ scientiâ innocentem noverit, eò casu ad superiorem judicem
causam commodè deferre & ei scientiam suam exponere, adeoq; Su-
perioris judicis æstimationi relinquere potest: neq; hanc controver-
siam uberius deducere animus est, cum hanc operam jam dudum occu-
paverint ipsi Juri, Theologi & Politici quorum eruditissima respon-
sa pio mentis affectu veneror. Vid. B. Meisn. *Philos. Sobr. p. 3. p. m. 570.*
Hornei Philos. Mor. l. 4. p. 677. *Octavò* deniq; de loco & tempore placet
addere pauca, antequam finiam. Ac ille quidem debet esse hone-
stus, in quò salvâ Imperii Majestate dicere jus licet. Hinc Veteres à
loci sanctimoniâ aliquid venerationis conciliare voluerunt judiciis,
qui in Basilicis, Templis, porticibus & præterea subdialibus locis, un-
de li-


de liberrimus esset cœli prospectus, eâ exercuerunt. *Demster. Rosin. l. IX.* Tempus non omne poterat judiciorum usibus destinari. Erant nempe nefasti dies, quibus non licebat Prætori fari solenne illud: DO. DICO. ADDICO. Hodie liberum erit judici, quo interquiescere lites aut suscipi velit tempore, modo cultui divino sacrata lux non infumatur his negotiis peragendis. Latius equidem hic modus P. J. explicari posset, imò deberet, si vacaret; verum cum jamjam laborem meum supra votum exerevisse videam, remittendo B. L. ad ea, quæ latè de hoc reperiuntur apud citatos Autores, calamo impero, & ad Colophonem imponendum eum ductito.

TH. XIX. Ex omnibus his [nisi me opinio fallit] satis quid prudentia judiciaria sit, demum patebit: ut a. [quæ fufius dicta sunt, in exiguâ tabellâ sifterentur, quemque suo passus abundare sensu, nō iniriō, sed sub finem, [Architectum imitatus, qui non prius, quàm materia suppetat, ædificium componit] ex jam dictis descriptionem prudentiæ judiciariæ, non qualem volui, sed qualem potui, proponere constitui; Ea sic se habet:

Prudentia judiciaria est ea, quâ judex, quoad Personam & officium rectè sese habens, de rebus controversis, ad forum Spectantibus, legitimè judicat.

Atque hæc sunt, quæ ex amplo hoc multisque materiis involuto argumento in medium proferre pro virium & ingenii tenuitate volui: Tibi itaque, JESU CHRISTE, omnium injustorum Judicum Judex supreme, & Vindex Justissime, sit cū Patre ac Spiritu Tuo Sancto

GLORIA IN ALTISSIMIS.



94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692





Sb.

VD 17

21.7.99 Bd.







Q. D. F. E. I.
PRUDENTIAM
JUDICIARIAM,

EX
PHILOSOPHIA PRACTICA
IN ILLUSTRIS UNIVERSITATE VVITTEBER-

GENSI,
SUB PRÆSIDIO
VIRI PRÆCELLENTIS atq; CLARISSIMI,
DN. M. SIMON. FRIDER.

FRENZELII,
AMPLISS. FACULT. PHIL. ADJUNCTI MERI-

TISSIMI,
FAUTORIS ET PROMOTORIS STUDIORUM
MEORUM OBSERVANTER
COLENDI,

PUBLICO EXAMINI EXPONO
AUTOR & RESPONDENS
JOHANNES Wagner /

CAMENTIO-LUSATUS,
IN AUDITORIO MAJORI,
AD DIEM XXIII. JULII, HOR. MATUT.
ANNO τῆς Χριστογονίας M. DC. LXX.

WITTEBERGÆ,
LITERIS EXCUDEBAT JOHANNES HAKE.

58 26.

